

PROTOMARTYR BRITANNUS:

Sive

ELEGIA SACRA

IN

Conversionem

&

Martyrium

SANCTI ALBANI.

Τὸ πολὺ πολέμιον. Hippocrat. Aphor.

Authore

IOHANNE HARMARO.

LONDINI,

Anno M DC XXX.

4



N O
D'
Hon
S



illust
nostr
sibi f
perta
Q
Virt
tem i
mus,
buim
nella
cteri
ex fe
quid
rint,
Quo

NOBILISSIMO DOMINO, D^no^ CAROLO, Vicecomiti de Cranborne, Honoratissimi Domini, Domini GVLIELMI, Comitis Sarisburiensis, Hartfordiensis Provinciæ Archistrategi filio natu maximo, Mæcenati suo plurimùm observando.



Ec justiùs potui, nec libentiùs debui (Honoratissime Domine) cujusquam nomini, quàm Tuo, hoc meum qualecunq; Carmen inscribere. Nam præterquam quòd illud (quamprimùm Tibi innotuissem) optatissimo patrocinio Tuo lubens dignatus fueris; huc etiam accedit, quòd illustrissimum patrem Tuum, non tantùm Sanct-Albanum nostrum, sed & tota hæc Provincia, Patronum magnum & sibi faventissimum, tanquam θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, *semper est experta, & agnoscit grata.*

Quinimo & in Te eadem, quæ in Illo, Ingenij, Iudicij, Virtutis *&* Candoris *argumenta relucent: (relucent autem? imò refulgent) ut certò jam vaticinemur, & speremus, nos Tibi tantum debituros, quantum Illi semper debuimus, & etiamnum debemus. Siquidem in Tua adhuc tenella ætate, tenuiq; corpore, magnum certè animum complecteris, magnamque de Te spem præbes Reipublicæ. Id quod ex felici tua tum ad* Artes, *tum ad* Virtutes *indole tam liquidò constat, ut omnes qui faciem Tuam vel semel viderint, virilem illam venustatem & admirentur, & ament. Quod idem æternùm & ex animo facturus est*

Amplitudini Tuæ

Tuus quàm devotissimus servus,

IO: HARMARVS.

PR

V

Fort
D
Cuju
T
Quác
Pr
Carp
A
Excip
*
Qui f
Al
Proti
Pr
Quæ
(C
Com
Mi

PROTOMARTYR BRITANNUS:

Sive

ELEGIA SACRA

in

Conversionem

&

Martyrium

SANCTI ALBANI.

VMbra Paganiſmi cum ſeſe offunderet orbi,
  Et coleret fictos terra Britanna deos:
Vir pius Amphibolus * decimo graſſante ty-
  Hoſpitij tutum quærit adire locum. (ranno,

** Diocleſiano Anno 294.*

Fortè * Verolamium (quæ inter caput extulit urbes;
  De qua nec Taciti pagina denſa tacet:
Cujus nunc tantùm reſtant fundamina: valli,
  Tellure aggeſtâ, ſpiſſa reſedit aqua.
Quáque olim ſteterat moles operoſa domorum,
  Provenit alternis illa vel illa ſeges.)

** Ptolemæo οὐρολάνιον: fortaſſè quòd ſit locus ventis expoſitus & perflabilis.*

Carpit iter: ductuque Dei eſt deductus in æ des
  Albani * niveâ ſimplicitate viri.

** Albanus q. albus. Minch.*

Excipit Albanus miſerum patriâque carentem
  * Amphibolum: Amphiboli moſque fideſque pla-
Qui ſimul ac verbis Chriſti myſteria pandit, (cent.
  Albani mens eſt irradiata fide.

** Martyrologus & Beda.*

Protinus æthereo pectus ſcintillat amore:
  Pro vera haud dubitat relligione mori.
Quæ nova res querulo populi eſt detecta ſuſurro:
  (Credula fæx vulgi garrulitate fluit)
Commoti proceres: volitat plebs: agmine facto
  Murmur it; & res eſt cæpta cruenta geri.

Consulitur : res acta diu est : nox ingruit : & jam
  Merserat Hesperio marmore Phœbus equos.
Obstiterat cœptis nox importuna tenebris,
  Dum Sol optatum fundat ab axe diem.
Postera lux oritur : compressa efferbuit ira :
  Sic vidi flammas invaluisse morâ.
Amphibolum quærunt (modò qui discesserat illinc)
  Vt sua crudeli dogmata morte luat.
Prodijt Albanus succinctus veste Magistri :
  Hæc documenta meâ morte tuebor, ait.
Abripitur : pro se vi respondere coactus,
  Quid ferat, expectat, judicis ira ferox.
Multa supercilio judex vibrante minatus,
  Verbera quid valeant experiamur, ait.
Lora capit lictor : geminato fulminat ictu :
  Sanguifluo Divi verbere terga secat.
Sustinet impavidus spoliatus veste flagella :
  Constantem Albanum nulla flagella movent.
I lictor : propera : constringe manusque pedesque :
  Ducitor in Sylvas : ense recide caput.
Ducitur in sylvam : impietas umbracula quærit :
  Quod malè quis faciat luce carere velit.
Plebs furit, & stolidos tollit male-suada cachinnos;
  Injicit & primas seditiosa manus.
Imperat hæc judex vultu peragenda severo :
  Officium nimia sedulitate facit.
Nec mora : carnifices properant : distringitur ensis :
  Officium præstat sanguinolenta manus.
Crediderim tremuisse manum (quia conscia cædis
  Mens erat) ut vitreas cum ferit Auster aquas.
(Si qua fides populo) perhibent, in funere Divi
  Lumina carnificis deseruisse caput.

Quem

Quem Phlegetontæus vivum ſic torruit ignis;
  Vt Canis ardeſcens arva calore coquit.
Pro Chriſto Albanus nive candidiora liguſtri
  Colla premenda dedit, colla ſecanda dedit.
Inter Chriſticolas primus ſacra vulnera paſſus,
  * Angliaco μάρτυς πρῶτος in orbe fuit.
Mortem pro Chriſto,(nulloque ſub indice)paſſo
  Martyrij Albano prima corona datur.
O pietas! O ſancta fides! non Ira Tyranni
  Hoſtica; tortorum non domuere manus.
Pòſt, ubi ter centum Phœbus confecerat annos,
  Nec coleret pictos Anglica terra deos:
Cùm jam Relligio tremulos ſolidaverat artus;
  Cùm certo ſtaret firma tenaxque loco:
Tunc memor Albani Templum Rex * cōdidit * Offa:
  Martyris ex illo ſanguine crevit opus.
Quà ſteterant ſylvæ,poſuit Fundamina templi:
  Illa Verolamij * crebra ruina dedit.
Hinc opere Albano Templum Tumulumque ſtupendo
  Extruxit Regis relligioſa manus.
Hinc Sanct-Albanum Temploque accrevit eodem
  Tempore,ab Albani nomine nomen habens.
Gratior affulget cui luce Dieſpiter aureâ,
  Vtpote quod poſitum eſt editiore loco.
De Tumulo: ſpatium eſt quadrato marmore tectum:
  Sola columnarum ſigna manere vides.
Cætera quæ fuerant Tanti monumenta Britanni,
  Eripuitve dies, ſurripuitve manus.
De Templo: multis malè deperijſſet ab annis,
  Ni citò * IACOBVS ſuſtinuiſſet opus.
IACOBI pietas ni ſubveniſſet; & ipſa
  Eſſent in miſeram tecta reſuſa ſtruem.

** Sanctus Albanus Anglorum Stephanus.*

Circiter Annum Christi 310.

** Circiter An. 579. vel ut alij 796.*

** Rex Merciorū.*

** Camd. Britan. Sanct-Albanum in amaniſſimo & ſaluberrimo loco ſitum.*

** Anno 1612. Nempe certior factus de conditione Templi ſatis jam deſperata (utpote quod jam diu magnam partem nutare videbatur) oratione preſſa, efficaci & flexanima habitâ ab eruditiſſimo & prudentiſſimo viro & ſummo meo amico Domino Iacobo Roſſe Diœceſis Londinenſis tunc temporis, & etiamnum Commiſſario.*

Scilicet

Scilicet ad Reges hæc ſpectat cura potentes;
Sub Iove quos ſolos munia tanta decent.
Et quoniam ſequeris magni veſtigia patris,
Huic Templo faveas (CAROLE magne) tuo.

FINIS.
